DE RUPTURA PERINÆI NOVAQUE EAM SANANDI METHODO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA-GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXVI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

GUSTAVUS HOLTHOFF,
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

GUIL. ALBERTI, SEM. REG. PAEDAGOGIC. SODAL.
C. BRUENNINGHAUSEN, MED. DR.
E. JUNKER, MED. DR.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO

J. N. RUST,

UTRIUSQUE MEDICINÆ DOCTORI,

ORDINIS AQUILÆ RUBRÆ IN CLASSE III, CRUCIS FERREÆ ET ORDINIS RUSSICI ST. ANNÆ IN CLASSE II EQUITI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS MEDICIS IN SUMMO MAGISTRATU RERUM SACRARUM ET MEDICARUM ATQUE INSTITUTIONIS PUBLICÆ; EXERCITUS BORUSSICI PROTOMEDICO; MEDICINÆ PROFESSORI PUBL. ORD. UNIVERSITATIS LITTERARIÆ BEROLINENSIS; NEC NON CHIRURGIÆ ATQUE OPHTHALMOLOGIÆ ACADEMIÆ MEDICO-CHIRURGICÆ MILITARIS; REI CHIRURGICÆ ET OBSTETR. IN NOSOCOMIO CARITATIS MODERATORI PRIMARIO; CLINICI REGII CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI DIRECTORI ATQUE INSTITUTI TAM CHIRURGICI QUAM PHARMACEUTICI; MEDICO PRIMARIO IN CASTRIS MILITUM INVALIDORUM; COMPLURIUM SOCIETATUM ET ACADEMIARUM BEROLINI, AVÆ UBIORUM, VRATISLAVIÆ, DRESDÆ, ERLANGÆ, HALÆ SAXONUM, HEIDELBERGÆ, CRACOVIÆ, PETROPOLIS, SALZ-UFLENAE, VILLNAE SODALI ET HONORARIO ET CORRESPONDENTI ETC. ETC. ETC.

PRÆCEPTORI SUMMOPERE COLENDO

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

SUMMA QUA PAR EST REVERENTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

Caput primum.

Brevis perinaei descriptio anatomica.

Regio perinaei, perinaeum 1), sive ubi in mulieribus, de quibus unice hic sermo habebitur, hunc locum

1) Neminem sane artis medicae recte peritum fugere potest, Graecis istam deberi denominationem, quippe qui eandem rem modo τράμην, τράμιν, ταῦρον, κτένα, κοχώνην, πωγαῖον, modo si ipsos inspicias medicos exempli causa Hippocratem, (Aphor. V, 8. et VII, 39.) περίνεον sive περίναιον appellaverunt. Quod quum priora ista nomina non nisi tropice et quasi joci causa videantur fuisse adhibita, quem ad modum in Aristophane leguntur, non est, quod dubites, justam et solitam rei significationem fuisse περίνεον sive περίναιον. Sed hujus quidem vocis tam sensus quam etymologia adeo in tenebris jacent, ut nulla ratione certi quidquam eruere possimus. Sic plane ridiculum foret, si quis περίνεον ἀπὸ τοῦ περὶ et τοῦ ναῦς, νεὼς (Jonice νεὸς) deduceret, ut esset locus cujus ab utraque parte ναυτίλλεται, et quae sunt id genus alia, exempli gratia Riolani (in Anthropographia L. II.

spectamus, interfemineum, perinaeum muliebre illa dicitur abdominis pars 2), quae inter anum iacet vaginaeque orificium atque linea eminente, quae Raphe s. Sutura ab anatomis vocatur, distinguitur. Variae ea est magnitudinis atque magis minusve lata invenitur, quae quidem res, uti infra apparebit, magni est momenti. Constat autem non solum cute, quae totius corporis faciem obducit externam, sed etiam musculis compluribus et propriis huic loco et alienis ad organa vicina et adiacentia pertinentibus. Cutis indole atque colore gaudet iisdem, quibus in ceteris locis, ubi genitalia vestit

---

c. 31.) derivatio a περινεῖν, circumnatare, quia perinaeum perpetuo sudore madeat. Propterea etiam rejiciendam putamus scripturam περίνεον pro περίναιον, nisi quis velit πηρίνεον, ut sit derivatum ἀπὸ τοῦ πηρὶν seu πηρίς i. e. ὄρχις, testiculus, et significet in universum regionem seu appendicem testiculorum. Quum autem arctior sit hic sensus, alteram scripturam scilicet περίναιον retinendum censemus vocemque ita explicamus, ut a περιναίω circumhabitare deducta significet locum ob omni parte circumdatum et quasi habitatum, pudendis scilicet et ano. Jam vero etiam videmus a Voelkening in Dissertatione de laesionibus perinaei muliebris. Götting. 1797. 8. p. 5. derivationem proferri a περινέω, circumaggerare, quasi agger inter anum et pudenda sit perinaeum. Quae quidem derivatio si recte se habet, scribendum etiam foret non περίναιον sed περίνεον. Igitur auctor ipse contra suum peccat canonem.

2) Cf. Poll. II, 73.

externa; brunneum scilicet praebet colorem et brevibus ornatur pilis atque subduris crispisque. Qua quidem remota musculi magna telae cellulosae atque adipis copia circumdati atque coniuncti apparent sequentes. Primum enim adspicimus musculum transversalem, exilem teretemque, qui vulgo dicitur perinaei superficialis, quemque alii transversalem nominant urethrae. Oritur arctiore et tendinoso apice ab inferiore parte tuberis ossis ischii, ubi ramus descendens huius ossis incipit; tum carneus factus et sensim sensimque crescens et latescens, dein vero extenuatus transverso fere ductu introrsum procedit, et in foeminis — decursus in viris hoc loco haud desideratur — inter constrictorem ostii vaginae et sphincterem ani externum decurrens cum utroque sicut et cum musculo sibi respondente ex altero latere progresso se coniungit et commiscetur. Eodem fere loco, quo ille originem petit, paulo vero superius, musculus oritur perinaei profundus, ab aliis alter sive posterior vocatus, tenuior atque angustior antecedente, eodem modo, uti dictum descriptumque est, procedens atque desinens. Saepe autem deest uno aut utroque latere. Praeterea ex constrictore cunni, qui sicut annulus vaginae orificium circumdat, fibrae musculares prodeunt, quae in perinaeum multimodis inter se junctae transeunt et cum transversalibus perinaei cumque parte anteriore sphincteris ani externi coniunguntur et hic desinunt. —

Praeter hos, quos diximus musculos, quippe levia tantum adiumenta et praesidia, ne perinaeum, quum foetus in lucem progreditur, dilaceretur, rumpaturque, frenulum adest vulvae sive labiorum, tenue tantum idque semilunare. Est autem illud plica membranacea, quae labiorum maiorum in perinaeo desinentium commissura, quae dicitur posterior, conformatur, atque, si labia deducuntur, tenditur et pro viribus cavet, ne labia praeter modum expandantur.

Permulti nervi et vasa tam arteriosa, quam venosa et lymphatica in perinaeum transeunt, multimodis inter se juncta, quae ex nervis sacralibus ischiadicisque atque vasis pudendis et haemorrhoidalibus originem ducunt 3).

Caput secundum.

De diruptione perinaei in partu.

Structura harum partium ipsa iam clare demonstrat, non satis firmas esse atque ita excultas, ut in ultimo partus stadio, ubi foetus caput, sive

3) Cf. de hac re Loderi Tabul. anatomic. Tab. LXXX, Fig. 1. ubi clara invenitur perinaei musculorum delineatio et:

G. F. Schleussner diss. de praecavenda perinaei ruptura in partu. Jen. 1797, p. 7 sqq. qui egregie hac de re disputat.

occipite sive fronte praevio, quod quidem stadium germanice „der Kopf steht im Einschneiden" dicimus, infimam intrat pelvis partem, rite semperque impetus vehementiae restitere possint. Quae quum ita sint, facile cogitaveris, saepissime inveniri perinaei rupturam; hac vero in universum suspicione quam maxime sane falleris, siquidem negligendum non videtur, perinaeum esse organon molle, quod magnopere et vel supra modum extensum, tamen sine ullo damno hoc patitur illatum periculum, dummodo non subito, sed, ut ita dicam, gradatim fiat expansio atque extensio huius partis. Quod si negligitur aut si aliae, quas infra perscrutabimur, accedunt res nocuae atque incongruae isti expansioni sensim sensimque profectae; proh dolor, haud raro medico propositam invenimus et frenuli et perinaei ipsius et dilacerationem et rupturam.

Fuerunt autem, qui putarent, frenuli dilacerationem diruptionemque in quavis muliere, quae primum edit partum, esse necessariam, nulloque modo prohibendam, quam ob causam nullam illi adhibuerunt curam, qua eam praecaverent 4).

---

4) Vide van Hoorn Sephora und Phua etc. Würzburg 1758, ubi p. 50 dicitur: „Wenn der Kopf meistentheils dem Eisbeine vorbei geglitten, es ihr (sc. der Hebamme) auch deucht, sie werde es nun wohl herausbringen können, so schiebt sie, wenn die Wehe am schärfsten zusetzt, auf einmal die besagte Mütze (quo verbo perinaeum significatur expansum) gegen den Mastdarm zurück. Alsdann fühlt man im Schieben,

Sed haec valde nociva sententia apud medicos et artis obstetriciae nostrae aetatis peritos non iam valet, quid quod tantum illi absunt ab hac,

---

wie sich das Schiffchen (navicula i. e. frenulum) zwischen den Fingern spalte bei denjenigen, so das erste mal gebären, eben als ob man einen Lumpen vom Tuch abreisse, welches sodann bei erster Geburt allemal geschieht.

Idem docet tractatus de arte obstetricia a. 1766 sub auspiciis magistratus Costanciensis a Lucca de Erb editus: „nempe, p. 59 ut capitis impetui non resistat, quin potius perinaeum removeat obstetrix, ita ut frenulum panni lanei instar inter digitos diffindatur." — Quod et Hirzel (in seinem: Lesebuch über die Hebeammenkunst, Zürich 1784, S. 201) pronuntiat: „Bei der ersten Geburt zerreist allemal der vorderste Theil dieses Dammes, nemlich das Schaambändchen." — Conferatur porro: Baudelocque Art des Accouchements. Par. 1781. Tom. I, p. 138, oder in der Uebersetzung von Meckel. Lpz. 1801, S. 212. Note, ubi sic fere dicitur: „Wenn der grösste Durchmesser des Kopfs in die äussere Schaam tritt, so verschwinden die myrthenförmigen Wärzchen, die Wasserlefzen werden kleiner und das Lefzenband des Mittelfleisches zerreist gemeinlich."

Gehler denique in prog. de praecavenda perinaei ruptura in partu, Lipsiae 1781. 4. docet p. 3 sqq.: „In omnibus quidem, quae prima vice parturiunt, tenerior perinaei pars ea nimirum, quae labiorum commissuram posteriorem efficit, et frenulum ab anatomis dicitur, nisi parva admodum sit capitis prodeuntis moles, diffinditur atque discerpitur, ita ut deletum hoc frenulum certissimum in feminis praebeat peracti iam olim partus judicium etc."

ut vel forcipe obstetricia, rite modo adhibita atque directa, non semper dilacerari et disrumpi putent perinaeum 5).

Sed quidquid est, sine dubio tamen non tam raro, uti forsan credideris, obvenit et frenuli laesio et perinaei ruptura, quae vero res etiam minus videtur mira atque inexspectata, si omnia perscrutamur pericula, quibus perinaeum in partus negotio, praecipue in ultimo eius stadio est expositum.

Eo enim tempore perinaeum, foetus capite sensim sensimque prorumpente, magis magisque expanditur, et quoque dolore ad partum, quo extrorsum reprimitur, supra foetus caput explanatur; quo quidem temporis momento in maximo dilacerationis periculo versatur perinaeum, quum in summum expansum et uteri et musculorum abdominis coniunctis viribus, quae foetus egressum e matris gremio accelerant, resistere studeat. Haec vero res, ardua sane atque periculosa, tum tantummodo diminuitur, quum partus periodi rite progrediantur et peritorum auxilium necessarium haud incongrue

---

5) Chr. Siebold in Starks Archiv für die Geburtshülfe. Bd. II. St. 3, S. 61.

Schäffler in Hufeland's Journal, Berlin 1811, Bd. XIII. St. 3. p. 178. dicit .... denn wenn bei grossen Köpfen der Ausgang nicht schnell ist, so lässt sich so nach und nach das Perinaeum oft ungeheuer ausdehnen, ohne zu zerreissen; woher es auch kommt, dass bei einem vorsichtigen Geburtshelfer auch schwere Zangengeburten doch nicht leicht mit Zerreissung des Perinaei verbunden sind.

adhibeatur, sed uti res postulant. Augetur autem periculum, atque maius fit et gravius, si sequentia accedunt incommoda, quae quam maxime favent et dilacerationi et rupturae, quae nisi removeas, aut, si removere non possis, pro viribus saltem diminuas minusque reddas et periculosa et minantia, vel optima ceterum adhibita ope atque auxilio, rupturam praecavere non poteris.

Caput tertium.

De causis rupturae perinaei.

Quae quidem incommoda, quum causae huius mali inde proficiscantur, et in praedisponentia et in occasionalia dividi opus est atque necessarium.

De praedisponentibus primum sermo habebitur; his autem adnumero:

1) Perinaei latitudinem modum excedentem. Naturalis perinaei latitudo, dicit Voelkening 6), a frenulo labiorum usque ad anum minime constans est, interdum enim vix pollicis unius latitudinem habet, interdum uno et dimidio pollice latius invenitur; quae quidem diversitas non a minori majorive corporis statura, sed a situ genitalium et imprimis ab inclinatione axeos pelvis ad horizontem dependet; quo enim major est angulus, quem axis

6) L. c. p. 7.

pelvis cum axi efficit corporis, eo arctius est plerumque perinaeum. Ideoque etiam iis foeminis, quae genitalia retroversa habent sita, angustum est perinaeum, latum e contrario illis, quibus pudenda antrorsum sita sunt.

2) Frenulum nimis latum, simulque valde tenue.

3) Ex his sequitur tertia causa, nempe orificium vaginae nimis angustum atque et frenulo et perinaeo coercitum.

4) Cutem perinaei nimis densam atque rigidam. Quae quidem firmitas atque perinaei rigiditas in feminis potissimum haud raro observatur aetate iam provectis, prima vice parturientibus 7). Haec enim aetas provectior cunctas molles et flexibiles corporis partes rigidiores strictioresque atque ad expansionem minus pronas reddere solet. Cicatrices denique durae et callosae, quod quidem malum e ruptura in priori partu accepta oriri solet, non minus perinaeum et firmum et densum reddunt.

5) Pelvis nimiam inclinationem 8), quacum id quidem semper coniunctum esse solet, ut genitalia retroversum sint versa, minime prominentia labiisque ad ossa ischii retractis praedita.

---

7) Gehler kleine Schriften, die Entbindungskunde betreffend. 1798. Tom. II, S. 111, oder dessen Progr. l. c. p. 5.

8) Osiander Entbindungskunst. 2 Bd. 2 Abtheil. p. 224. §. 115. Tübingen 1820.

6) Genitalium siccitatem in partus negotio, atque, ex quo haec potissimum oritur atque efficitur:

7) Defluxum praematurum liquoris amnii.

Quibus causis Voelkening 9) praeterea adnumerat neglectam inunctionem genitalium oleosis vel mucilaginosis rebus, quod quidem adiumentum et perinaei praesidium nostris temporibus adspernatur. Ceterum si vero causam istam rejicere nolis, praedisponentem eam dicere nullo modo potes. Idem enumerat inflammationem genitalium externorum ab incauta exploratione ortam 10), pressione manus sustentantis, et eiusmodi rebus aliis. Congestiones denique haemorrhoidales a Voelkening citatae, quibus nulla fere gravida atque parturiens caret, sicuti et fluor albus et benignus et malignus, nisi si posterior excoriationes partium atque exulcerationes iam effecerit, hac in re vel ullius momenti esse non videntur.

Haec fere sunt, quae de causis habui praedisponentibus, jam vero ad occasionales venio, quarum magna nobis obvia fit cohors 11). Triplicis autem eae sunt generis, oriuntur enim aut ex foetu, aut matre, aut peritorum (?) auxilio inique adhibito.

---

9) l. c. p. 9.

10) Mauriceau traité des maladies des femmes grosses etc. Septieme edition. Paris 1740. 4. Tom. I. p. 400.

11) H. M. Mendel, commentatio de perinaei cura in partu, maxime ad rei obstetriciae historiam spectantem Vratislaviae 1812. 4. p. 6 sqq.

Foetus vero hasce tres praebet causas:

1) Capitis prorumpentis circuitum solito majorem, humerosque nimis latos; porro

2) situm eius perversum atque processum capitis e gremio matris pariter iniquum atque insolitum, ex. g. facie praevia vel fronte ad ossium pubis symphysin occipiteque ad os sacrum versis vel vertice occipitis loco primum prolato, et quae sunt id genus alia.

3) Nates praevias 12).

Ex matre hae veniunt:

1) Situs parturientis nimis erectus 13), quo fit, ut foetus caput ab axi pelvis recedens, perinaeo nimium imprimatur, illudque in insignem tumorem distendat 14).

2) Vehementibus uteri contractionibus atque immodico parturientium nisu 15) foetus sat magni praeceps atque subitanea exclusio, quo fit, ut perinaeum non sensim sensimque sed repente tendatur, id quod etiam in foetus versione fieri solet, testantibus Boer 16) et Puzos 17).

---

12) Heisteri institutiones chirurgic. Amstelodam. 1750. Tom. II. p. 1034.

13) Cf. Mursinna's Journal für Chirurgie, Arzeneikunde und Geburtshülfe. Berl. 1811. 4ter Bd. 2tes St. S. 145.

14) Gehler Prog. l. c. p. 5.

15) Eodem loco.

16) Boer's Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhalts 1802. Bd II. Th. I. p. 141.

17) Puzos traité des accouchements. Paris. et Gehler Prog. p. 5.

Tertia nostrae divisionis sectio de vitiis eorum, qui parturientibus auxilium ferre debent et ferunt, agit, qua quidem in re multimodis erratur. Sed ut breviter eam absolvamus, ad hocce potissimum redit: Temeraria, prorsus neglecta aut perversa perinaei sustentatio in partu et mala capitis extractio. Huc pertinet ex. g. consilium Hageni 18) digitis in quarto partus stadio, quum foetus caput in perinaeum irruat, vaginae immissis, quippe quae iam per se valde sit angusta, labia expandendi atque retrahendi, id quod alii instrumentis adhibitis obstetriciis incauta tamen atque haud laudanda festinatione impetrare voluerunt. Denique in universum partus cuiusque et normalis et a norma recedentis nimia accusanda est acceleratio, scilicet vaginam dilatando, uti supra dictum est, vel caput importune protrahendo 19) vel ad fortiter enitendum parturientes hortando 20). Quum autem haec res magis medici sit obstetricii, quam chirurgici, mittendam esse eam censemus et ad Mendelium atque Voelkening ablegare lectorem satis habeamus.

---

18) Diss. de praecavenda interfoeminei dilaceratione. Mog. 1790. 8. p. 28. qui hanc operationem a beato Hoffmann, qui Monasterii versatus est, inventam esse narrat, quod quidem Osiander Handbuch der Entbindungskunst II. Bd. II. Abtheil. p. 225. Tübingen 1820 negat, Smellium ea iam usum fuisse methodo monens.

19) Mursinna in Loders Journal für Chirurgie und Geburtshülfe. Bd. I. St. 4. p. 659.

20) Mendel l. c. p. 7.

Una adhuc restat perinaei in partu dilacerati seu potius discissi causa, nempe incisio partis anterioris perinaei a medico ipso instituta. Commendant hanc operationem Michaelis 21), qui eam in una eademque muliere in duabus sequentibus graviditatibus optimo successu bis perfecit, Wiegand 22) et a Siebold 23) in illis scilicet casibus, ubi perinaei ruptura, etiamsi nulla negligatur cura, non potest averti. Michaelis operationem instituit propter perinaeum sat latum et haud laxum, quum partus longe cessaret, paeneque impossibilis redderetur, et praeterea parte posteriori perinaeum iam ruptura parva tantum hiaret et totius perinaei ruptura quovis temporis momento timeretur; a Siebold contra propter frenulum iusto multo latius 24), quod per duas et quod excurrit horas partum usque ad stadium quartum iam progressum retardabat.

---

21) Cf. Siebold's Lucina, Bd. VI. St. I. S. 23.

22) Hamburger Magazin für die Geburtshülfe. Bd. I. H. 1. S. 40.

23) Cf. Siebold's Lehrbuch der praktischen Entbindungskunde. 2te Aufl. Nürnbg. 1826 S. 79. ubi sic fere dicitur:... bei unvermeidlicher Verletzung des Dammes lieber denselben einzuschneiden, als dessen Verletzung der Willkühr der Natur Preis zu geben, weil letztere nicht nur im höhern Grade und oft bis in den Mastdarm erfolge, und weil eine gerissene Wunde immer schlimmer, als eine geschnittene. Salzburger medizinisch-chirurgische Zeitung 1811. B. I. Nr. 217. S. 276.

24) Lucina l. c. S. 26. Anmerkung.

Sunt denique res permultae, quae perinaeum mulierum haud gravidarum dilacerare et laedere possunt. Ex. g. si femina lapsu vel ictu saxum vel lignum aliamve rem duram et acutam in perinaeum imprimit, cuius rei exemplum Voelkening 25) narrat valde periculosum: iam vero etiam combustiones harum partium 26). Praeterea abscessus et fistulae e variis causis exortae, haemorrhoidum nodi in ulcera transgressi haud raro in perinaeo observantur ejusque degenerationem efficiunt.

Caput quartum.

De varia rupturae magnitudine atque directione.

Perinaei ruptura quoad magnitudinem situmque valde est diversa. Laesio nempe et dilaceratio frenulum tantummodo infestat labiorum vel frenulum una cum perinaeo, quam ob causam et partialem et totalem perinaei rupturam esse dicit Froriep 27). Haec autem divisio non satis est definita

25) l. c. p. 11.

26) Miscellanea Curios. medico-physic. Lipsiae et Frankf. 1673. Observat. 263, p. 486.

27) Froriep's theoretisches und praktisches Handb. der Geburtshülfe 1806. p. 276. Editio recentior haud mihi ad manus est.

atque stricta; quis enim frenuli laesionem partialibus, frenuli autem et perinaei pro parte tantum totalibus adnumeret perinaei rupturis?

Itaque cum Voelkening 28) atque Osiandro 29) ita distinguo: Laeditur nempe vel tantummodo frenulum, quod saepissime invenitur, vel frenulum cum parte perinaei proxime adiacente, vel utrumque usque ad mediam perinaei partem, vel frenulum totumque perinaeum, vel quod, proh dolor, haud raro observatur, ruptura adhuc amplius procedit, frenulum, integrum perinaeum et partem sphincteris ani anteriorem, ipsumque intestinum rectum perscindit 30). Casus sane tristissimus atque valde acerbus! Quo nempe fit, ut ex ano et vagina una eademque fiat cavitas, cloacae avium similis, ex quo tristissima veniunt symptomata et mala. Exstant dein nonnulla exempla, in quibus salvo frenulo

---

28) l. c. p. 8.

29) Osiander Handbuch der Entbindungskunst. l. c. p. 224 §. 114.

30) Mursinna in Loder's Journal Jen. 1797. Bd. I. St. IV. S. 661. et Mentzel Bd. II. St. I. S. 124.

J. F. Dieffenbach's chirurgische Erfahrungen, besonders über die Wiederherstellung zerstörter Theile des menschlichen Körpers nach neuen Methoden. Berlin 1829. S. 66 et 73.

Osiander l. c. 236 et 239 sqq.

Reuss. P. in J. B. v. Siebold Sammlung seltener u. auserlesener chirurgischer Beobachtungen u. Erfahrungen etc. Rudolstadt 1807. 2. Bd. S. 45.

integrum disruptum est perinaeum, ita ut per foramen inter anum et vaginam exortum foetus in lucem progrederetur. Foret sane res inaudita atque incredibilis, nisi documento Cel. virorum esset stabilita 31).

Denique pro situ directioneque variant laesiones, nempe vel recta linea a frenulo usque ad anum tendunt, atque in media perinaei parte inveniuntur; vel partes laterales magis laborant atque ruptura ad femora vergit, parte media haud laesa. Rupturam valde memorabilem atque periculosam describit Douglas 32), qua quidem et pars perinaei lateralis sinistra et labium sinistrum praesertim autem femoris integumenta laesa erant.

Caput quintum.

De incommodis perinaei rupturae.

Varia quidem et gravia sunt incommoda, quae perinaei rupturam praesertim haud levem sequi solent.

---

31) Moeckel in Mursinna's Journal l. c. p. 143. Siebold's Lucina. l. c. p. 26. ubi pro parte tantum perinaeum illaeso frenulo invenimus disruptum.

32) Vid. The Dublin hospital recorder etc. 1822 et Hamburger Magazin für die Geburtshülfe. Nov. Dec. S. 467.

Laesio frenuli, quamquam si vulnus spectes, haud magni est facienda, tamen mox secum ducit dolores multasque alias molestias. Effluxu enim urinae atque lochiorum vulnus exiguum irritatur et magis magisque inflammatur, atque puerpera haud levibus inde infestatur doloribus, qui potissimum augentur, si alvum deponit, praecipue per diem adstrictam, aut situm mutat quietum, aut forsan ambulare studet. Haemorrhagia plerumque deest, aut parva tantum observatur, quamquam unum eius rei memoriae meae obversatur exemplum, illud scilicet, ubi in recens nupta primum statim post coitum tantam ortam esse haemorrhagiam legi, ut tantummodo medici adciti auxilium eam coercere potuerit. Erat enim arteria parvi tantum luminis e perinaeo in hymen transgrediens laesa, quum pene vaginae immisso hymen disrumperetur. Haec autem incommoda sane levissimis huius mali molestiis sunt adnumeranda, multo autem graviora sequuntur, si perinaeum aut pro parte aut totum laeditur. In his enim casibus haemorrhagia nunquam deest, quamquam magis minusve sit copiosa atque periculosa 33). Multis atque haud parvis vasis gaudet perinaeum, uti in descriptione anatomica docuimus, quorum dilaceratio atque ruptio symptomata affert quam maxime gravia. Augetur

---

33) Supplément à tous les traités sur l'art des accouchements par J. A. Millot. Second. édit. à Paris 1809 Tom. I. p. 33.

autem periculum ex haemorrhagia exortum, si perinaeum ruptura ductu magis transversali scissum est, ubi semper sanguinis effluxum maiorem esse contendunt 34). Doloribus multo maioribus cruciatur puerpera, et, quum urina atque lochia vulneris latera semper attingant, atque per vulnus propter situm partium iniquum emittantur, inflammatio oritur in dies magis magisque crescens, ita ut suppuratio ichorosa sane nullo modo sit vitanda, quae, quum lente procedat et quum totus organismus vehementi dolore atque magna inflammatione locali affectus febri corripiatur, primum quidem inflammatoria, dein, uti in puerperis perfacile fieri solet, nervosa lenta, sic dicta febri puerperali, et ulcera efficit fistulosa 35) et magnum affert puerperis mortis periculum, sicuti Joerg 36), nonnullique observarunt alii. Interdum autem gangraenam partes ruptas occupasse van Doevern 37) refert atque Moeckel 38), id quod etiam haud mirum videtur, quum laesio obtuso corpore efficiatur atque

---

34) Voelkening l. c. p. 12. Osiander l. c. p. 228. § 117.

35) Cf. Danz in Stark's Archiv Bd. III. S. 632. Cornel. Solingen observ. med. Lugdun. Obs. 82.

36) Jörg: Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes. Lpz. 1809 § 450.

37) van Doevern observationes academicae Lugdun. Batavor. 1765. Centur. IX. p. 145 sqq. Nedel's Vorschlag die Ruptur des Perinaei bei der Geburt zu verhüten. Magdeburg 1806. 8. p. 72 et 80.

38) Moeckel l. c. p. 144.

vulnus inter obtusa sit referendum; fibrae enim partium disruptarum hic illic vulneris superficiei adhaerent 39), quae, uti cuiusvis vulneris obtusi indoles prae se fert, tanquam paralytica atque submortua apparet 40), omnisque reactionis, qua bona oriatur suppuratio, expers. — Praeterea et alia adhuc nominanda sunt incommoda, nempe excoriatio femorum, quum urina inter mingendum per femora semper defluat, eiusque acrimonia omnes, quas contingit partes, erodantur; ambulatio inde dolorosa alvique depositio; porro incontinentia alvi nimis laxae atque flatuum, denique prolapsus et vaginae et uteri. Tristissima sane incommoda, quibus mulier ab omni hominum familiaritate atque consuetudine retinetur deterreturque, atque vitam degit valde tristem, omnibus carens vitae amoenitatibus atque laetitia.

Si autem et totum perinaeum anique sphincteris pars anterior ipsumque intestinum rectum disrupta sint, omnia quae supra dicta sunt, sed vehementiori gradu incommoda observantur. Inflammatio, quam supra iam monuimus acerrimam, multo augetur atque partes ruptas vicinasque arripit, quam dein excipit suppuratio maligna atque ichorosa ex illis, quas docuimus, causis exorta.

---

39) Moeckel l. c.
40) Aegidi, C. J. Diss. de ruptura perinaei. Berol. 1819. p. 26.

Febrem universalem ex affectione locali tam gravi profectam haud raro lethalem fuisse puerperis cum de la Motte 41), Mauriceau 42) et Nedel 43) observavit Aegidi. Praeterea haec oriuntur mala: Vaginae, uteri et ani prolapsus, fistulae ani, paralysis sphincteris ani, inde incontinentia permanens atque pertinax et flatuum et urinae et alvi, ita ut interdum per vaginam, interdum per anum faeces excernantur, magna etiam dispositio et ad fluxum haemorrhoidalem et fluorem album, quum aër semper vulneris labiis valde distantibus vaginam intestinumque rectum penetret atque irritet 44): Sessus atque ingressus difficillimus, multis cum doloribus coniunctus. Dein concretio vaginae praeternaturalis, sive ostium vaginae, quamquam perinaeum bene sanatum atque cicatrice obductum est, saepius ita constrictum, ut neque coitus exerceri, neque nisi acerrimis doloribus in partu subsequente foetus rite progredi possit, id quod interdum prorsus impossibile redditur 45).

---

41) De la Motte traité complet des accouchements. Leyd. 1729, p. 618.

42) François Mauriceau observations sur la grossesse et l'accouchement des femmes et sur leurs maladies. Paris. 1738. Tom. II. Obs. 618. p. 506.

43) Nedel in Stark's neuem Archiv für die Geburtshülfe. Jen. 1801. Bd. II. St. II. p. 424 sqq.

44) Osiander l. c. p. 228.

45) Miscellanea curios. l. c. p. 486.

Denique haud negligendum mihi videtur rupto perinaeo et toto et pro parte concubitum marito ingratum atque taediosum reddi, neque infecunditate inde exorta matrimonii consilium impetrari, ita ut hocce malum inter causas divortii referri recte potuerit 46).

Caput sextum.

Prognosis perinaei rupturae.

Si frenulum tantummodo est dilaceratum, prognosis sane et optima et faustissima est nominanda, saepissime enim nullo medici auxilio adlato naturae tantum vi medicatrice parvulum sanatur vulnus, dummodo situm observet puerpera quiètum; si

46) Vid. Alb. v. Haller Vorlesungen über die gerichtliche Arzneiwissenschaft. 1. Bd. Bern. 1782. 8. p. 276. ubi, quum de physicis sterilitatis causis agat, atque his, nimiam etiam genitalium muliebrium amplitudinem adnumeret, dicit: „diese Weite kann entstehen, wenn bei der Geburtsarbeit das Mittelfleisch entzwei reifst und nun Schaam und Mastdarm eine Höle ausmachen und in der Heilung nicht wieder von einander abgesondert werden. In diesem Falle sind sowohl das canonische Recht, als auch andere, besonders spanische Schriftsteller der Meinung (Sanchez de Matrimonio, T. II. L. VII. disp. 92) dass die Ehe zu scheiden sei."

autem e contrario haec negligatur cura, puerperaeque lecto relicto deambulent, frenulum disruptum manet, partes nempe ruptae inflammatione atque exsudatione lymphae sic dictae plasticae exortis non rursus concrescunt, sed cicatrice obducuntur callosa et lata. Sed nullum fere vitium ex hac parva oritur non sanata ruptura 47), multaeque mulieres haud graviter eam ferunt, primi partus sequelam esse necessariam credentes. In maioribus autem perinaei rupturis, immo si integrum perinaeum intestinumque rectum disrupta sunt, prognosis, si laesionem eiusque sequelas spectes, tristissimam immo pessimam invenies. Permulta enim ex eo veniunt mala prorsus insanabilia, quae paulo supra memoravimus. Nec minus progrosin malam esse putes, si de curatione agatur eiusmodi rupturae. A naturae ope in tanta labe atque calamitate nil sane est exspectandum; quum enim ruptura adeo hiet atque tam lata inveniatur, ut vulneris margines non possint inter se iungi atque, exorta inflammatione et exsudatione, conglutinari, quum dein laesae partes propter situm iniquum et alvi et lochiorum et urinae effluxu inquinentur, itaque irritentur, ut suppuratio benigna, sine qua nulla fere sanatio potest exspectari, nullo modo oriri queat, sed perdurantibus nocuis illis sordidis atque irritantibus liquoribus in malam ichorosamque mutetur, sane in hacce re desperandum esset, nisi

---

47) Gehler l. c. p. 4.

ars medica multum suppeditaret, quod et haec mala diminuere et prorsus auferre posset, ita ut prognosis non tam sit tristis atque mala, quam primo obtuitu appareat. Experientia enim novissimis temporibus nos docuit et maximam gravissimamque perinaei rupturam bene adhibita cura atque diligentia esse sanatam 48), qua quidem re eorum refutantur sententiae, qui insanabilem putaverunt totius perinaei intestinique recti diruptionem 49).

Quod denique ad vitae attinet periculum, fugere nos sane non potest atque debet, interdum rupturam perinaei, videlicet totius, intestinique recti lethalem habuisse eventum, cuius quidem rei exempla iam protulimus nonnulla. In iis autem casibus non tam ruptura ipsa, quam sequelae inde exortae sicuti inflammatio nimia partium et laesarum et vicinarum, suppuratio ichorosa vires corporis labefactans atque exhauriens febrisque accedens et inflammatoria et nervosa, denique lenta accusanda sunt, quibus mors adciatur. Denique non est negligendum, hoc rarius tantum accidisse et saepius non tam tristem atque infaustum exitum secum duxisse perinaei laesionem haud levem, siquidem nihil esset neglectum, quod cura et diligenter et accurate instituta imperaret.

---

48) Dieffenbach l. c. p. 72 et 75.
Mentzel in Loder's Journal l. c. p. 129 et alii.

49) Mendel l. c. p. 8.
Mursinna in Loder's Journal l. c. p. 659.

Caput septimum.

De curatione perinaei rupturae.

Venimus nunc ad ultimam gravissimamque sane nostrae dissertationis partem, curationem scilicet huius mali, cuius incommoda sequelasque supra, quam fieri potuit diligenter et accurate exposuimus. Versatur autem haec cura aut in evitando hoc malo, quam ob causam haecce curationis pars prophylaxis, sive cura dicitur prophylactica, aut in sanando perinaei vulnere.

Quod quidem primam attinet partem, ut scilicet frenuli laesio atque perinaei ruptura quam fieri potest avertatur, in illa id quidem potissimum spectandum est, ut causis huius mali, quas supra citavimus, obveniatur, quae quidem quum varii sint generis, uti quisque facile iam intellexerit, etiam propter hanc varietatem variam sibi exposcunt curationem. — Denique autem nullo modo negligenda videtur perinaei in partus negotio sustentatio, ad quam rite recteque instituendam exercendamque a singulis medicis obstetriciis novas inventas esse methodos atque usque ad coelum tanquam unicas elatas, quivis vel me tacente sciet. Quum autem haecce curae pars ad artem magis spectet obstetriciam, quumque alteram curationis partem, sanationem scilicet vulneris ope chirurgiae uberius

tractare atque accurate perscrutari in animo nobis sit, ad scriptores obstetricios ablegare lectorem liceat, id quod iam supra fecimus. Ex iis autem praesertim Mendelium proponamus, qui nostris temporibus summa cum eruditione atque diligentia hac de re conscripsit fasciculum, paginis antecedentibus saepius citatum, nec quidquam fere desiderandum optandumque reliquit. Omissa itaque hac parte ad alteram nunc nos convertamus partem, quae curam continet laesi perinaei.

Priusquam autem ad ipsam vulneris curationem progrediamur atque de specialibus, ut ita dicam, sermo habeatur, generalia quaedam, quae in quavis fere harum partium laesione requiruntur, praemittamus necesse est, quibus peractis laesiones singulatim perscrutabimur.

Primum id quidem animo perpendamus necesse est, quonam modo laesiones sint tractandae, qua quidem in re auctorum sententiae valde sunt discrepantes. Sunt enim, qui in quavis perinaei laesione vel maxima reiunctionem per suturam haud necessariam, immo aspernandam esse putent 50), rupturamque naturae tantum relinquendam esse censeant, quum situ partium quieto atque congruo reunionem partium laesarum impetrari posse persuasum sibi habeant. Alii contra vi medicatrice naturae minus confidentes atque incommodis supra

---

50) Voelkening l. c. p. 23. et Aegidi l. c. p. 37 §. 24 ad medium.

citatis perterriti in omnibus casibus suturam adhibere volunt, nulla habita ratione, an perinaeum integrum disruptum sit, aut pro parte tantum ruptura laboret 51).

Sed utrique errant et Horatii illud:

Medium tenuere beati!

etiam in hac re suam sibi vindicat veritatem. Nam si rem accurate perspexeris, nobiscum sane iudicabis, sicuti non omnes perinaei laesiones desiderant suturam cruentam, sic obvenire laesiones, quae sutura tantum adhibita possint sanari. Quae quum ita sint, iis lubenter concedimus, qui frenuli laesionem parvamque perinaei rupturam non usque ad mediam eius partem progredientem, naturae esse relinquendam contendunt, ea ducti experientia, qua in pluribus casibus nullo adcito auxilio optimo successu sanationem processisse viderent. Non minus autem eorum consilium laudandum videtur, qui in omnibus casibus suturam adhibendam esse suadent, ubi perinaeum praeter frenulum usque ad mediam partem sit dilaceratum, quod quidem eo magis videtur necessarium, si integrum disruptum sit perinaeum, nihilque adhuc pontis intersit inter anum vaginaeque orificium. Multo necessarior autem fit sutura cruenta, si sphincter ani rectumque intestinum et ipsum una cum perinaeo laesa sunt, in quo gravissimo casu sane desperandum foret, nisi ars nostra illud suppeditaret auxilium.

---

51) Aegidi l. c. p. 34 et 36.

Non probanda itaque cuiquam videbitur Mauriceavii 52) sententia, qui in iis perinaei laesionibus, ubi sphincter ani illaesus remansit, reiunctionem partium instituere nolit; tribus enim feminis, quae propter hoc malum eius exposcerent auxilium, ipse operationem tanquam inutilem atque valde dolorificam dissuadere haud dubitavit. Nulla, inquit, ex hac ruptura oriuntur incommoda, partus sequentes multo redduntur faciliores, quum contra, si vulnus cicatrice obductum est dura et callosa atque ad expansionem minus prona, quisquis ulterior partus difficilior reddatur. Quamquam haec si cum nostra modo exhibita expositione conferantur, per se iam fere refutentur, tamen breviter eius percenseamus verba. Quod primum incommoda attinet, quae perinaei laesiones haud sanatas sequuntur, plane non video, quo modo tanta eorum cohors eum fugere potuerit. Jam sufficiet L. B. id in memoriam reducere, quod de hac re supra diximus. Quod dein ad eius propositionem pertinet, partum ulteriorem reddi faciliorem, si operatio omittatur, hoc sane per se liquet. Quod vero dicit, evadere difficiliorem, si operatio instituatur atque bene procedat, in eo quam diligentissime errat; adsunt enim exempla, ubi post eiusmodi rupturae sanationem partus rite adhibito auxilio atque perinaeo bene sustentato sine

---

52) Observations l. c. Obs. XLIV. p. 39 et Obs. DLXVII, pag. 465.

nova perinaei laesione progressus sit. Talem casum ex. g. observavit Joerg 53) quamvis ceterum sub pessima rerum conditione.

Alia dein diiudicanda est quaestio, ea scilicet, qua utamur ad vulnus reconciliandum sutura, in qua quidem re scriptorum sententiae valde sunt diversae. Antiquiores enim omnes et recentiorum nonnulli suturam, quae dicitur, clavatam et optimam et maxime aptam esse ad vulneris margines appropinquandos atque uniendos contendunt, eamque in hoc quidem malo quam maxime commendant. Omni iure autem eam rejiciunt et spernunt, ut alios omittam, et Mursinna 54) et Loder 55), atque in eius locum vocant suturam, quae dicitur, nodosam, hac partes disruptas omnibus locis atque quam maxime accurate uniri experimentis probantes. Quamquam autem in hac quidem re ab his viris haud est dissentiendum, tamen non unica sutura nodosa utendum esse censemus, sed mixtim et hac et alia, quae sutura nominatur circumvoluta 56). Experientia enim docet, saepius ligaturas nodulo tantum iunctas perinaeum inscindere atque ita evelli, quum partes quam maxime sint

---

53) J. C. Joerg's Schriften zur Beförderung der Kenntniss des Weibes und des Kindes. 2ter Bd. Lpz. 1818. S. 274.

54) Mursinna in Loders Journal l. c. p. 663.

55) Eodem loco Anmerkung.

56) Voelkening l. c. p. 26. Dieffenbach l. c. p. 68.

extensae, id quod sutura adhibita circumvoluta rarius accidere solet. —

Haec vero partium unitarum tensio praecipue est accusanda, quod multa olim pericula vulneris perinaei sanandi frustra sunt instituta, quamquam primis diebus post operationem inchoatam vulneris margines optime sibi respondere viderentur et medici iam optima quaeque sperare inciperent. Sed semper fere spes eos omnino fefellit, et quum sanatas putarent perinaei rupturas 57), ne minimam quidem marginum partem reiunctam atque reconciliatam invenerunt; qui quidem curae effectus ceterum et optime et maxime convenienter institutae tam infaustus ex nulla alia, quam quae dicta est, oritur cusa; margines enim laesi perinaei valde recedere atque minui solent, quum saepius partes superficiales aut gangraena aut sphacelo corripiantur vi atque vehementiae impetu ad mortem fere redactae. Haec autem massae organicae iactura efficit, ut unitis per suturam omnino vulneris marginibus, quod denique saepius perdifficile est impetratu, atque inflammatione exorta, tanta oriatur perinaei tensio, ut neque ligaturae, neque alia, quae adhibuerunt medici praesidia, quibus perinaeum et coërcere et constringere conarentur, impedire possint, ne singulae ligaturae perscindant partes unitas, quo fit, ut totum periculum frustra sit factum.

---

57) Eodem loco p. 667.

Quae quum ita sint, fieri sane non potuit, quin omnes abhorrerent ab his tentaminibus atque totius perinaei rupturam insanabilem esse lubenter faterentur 58). Omnibus autem his difficultatibus, quae alios deterrebant, Cel. Dieffenbach, uti ipse narrat 59), ad hancce operationem instituendam incitabatur, exemplis nonnullis edoctus, sanationem rupturae perinaei, immo integri, non omnino esse impossibilem. Et revera haud frustra huic rei suam navavit operam suumque ingenium. Facile enim causam perspiciens, quae sanationem tam redderet difficilem atque raram, remedium in usum vocavit, quo primum in staphyloraphia faustissimo successu usus erat, incisiones scilicet laterales. Utroque igitur vulneris uniti latere omnes partes molles satis profunda incisione ter quartam pollicis partem a vulneris ipsius marginibus remota affecit 60), quae quidem incisiones labiorum latere incipientes, atque vulnus in toto eius decursu comitantes versus anum desinebant. Quo factum est, ut, quum incisiones statim valde hiarent, pars interiacens, vulnus continens unitum, eaque in medio, ubi utraque incisio maxime esset remota, unum et dimidium pollicis lata, nulla parte maneret intensa. Sed et aliud dein ex his sequebatur auxilium atque suturae praesidium. Mox enim pars media perinaei, utraque incisione fere ab omnibus,

58) Mursinna et Mendel l. c.
59) Dieffenbach l. c. p. 65.
60) Eodem loco p. 65, 68—69, 80.

quae circumiacent partibus, secreta pollicis dimidium introrsum recedebat, ita ut incisionum margines externi partem mediam superiacere viderentur.

His itaque incisionibus factum est, ut nullis aegrotae motionibus, neque quum lecto se vertere, neque quum surgere conaretur, pars media moveretur, irritareturque, quam quidem rerum conditionem et optimam et sanationi aptissimam esse certe nobiscum cogitaveris, si quae supra diximus sanationis desideria haud neglexeris.

Sic sane valde ingeniose omnes fere ille superabat difficultates malumqne sanabat, cuius de curatione omnes fere iam desperare coeperant auctores.

Restat denique, ut de tempore loquamur, quod sanationi maxime sit aptum atque congruum. Etiam de hac re auctorum sententiae valde variant. Sunt enim, qui durante puerperio vulneris reunionem atque sanationem per suturam cruentam impetrare velint; eorum autem consilium secundum nostram qualemcunque sententiam nunquam est audiendum. Suadent atque collaudant hoc temporis spatium ex veteribus quidem Heisterus 61) atque Friedius 62), ex recentioribus Mursinna 63),

---

61) Heisteri institutiones chirurgicae. Amstaelodam 1740. Tom II. Cap. CLX, p. 1034.

62) G. A. Fried. Anfangsgründe der Geburtshülfe. Strasburg 1769. 8. p. 483 sqq

63) Mursinna l. c. p. 673.

qui saepius rupturas, quae non usque ad anum penetrabant puerperii tempore feliciter sanavit, et Chelius 64), qui quamlibet perinaei rupturam in puerperio esse sanandam contendit, illo tantum exemto casu, ubi puerpera operationem plane recuset, atque Osiander, qui quamquam prioribus temporibus suturam minime suaserat 65), tamen nostra aetate unicum nominat remedium; si autem ullam exspectare vis utilitatem, dicere pergit, die diruptionem subsequente operationem instituas necesse est 66). Quamquam itaque experientia nos docet, perinaei laesiones atque rupturas felici cum eventu sanatas esse in puerperio, dein vulneris reunionem sanationemque post puerperium inchoatam saepius frustra tentasse viros et doctissimos et experientissimos, tamen sane haud videtur negligendum, parvas tantum fuisse perinaei rupturas, quarum sanatio in puerperio tam bene processerit, quum contra rupturae essent maximo ambitu ad anum usque penetrantes, quas puerperio finito et optima ceterum adhibita cura atque diligentia sanare frustra tentarent medici et optimi. Quidquid autem est, sane haud video, quam ob causam

---

64) Chelius, M. J. Handbuch der Chirurgie. Heidelberg und Leipz. 1828. Tom. I. Abtheil. II. p. 455.

65) Osiander Lehrbuch der Hebammenkunst §. 494. Voelkening l. c. p. 23.

66) Osiander Handbuch der Entbindungskunde. Tübingen 1820. Bd. II. Abtheil. II. S. 229. Nedel's neue Verfahrungsart etc. p. 66.

sanatio vulneris in puerperio tentata melius progrediatur, quam puerperio finito; nescio sane causam atque rationem, ex qua ille magis faustus atque felix sequatur curae effectus? nec ullo loco, ne in iis quidem scriptoribus, qui hoc temporis spatium tanquam sanationi vel maxime aptum collaudent, inveni. Quae quum ita sint, sane nihil aliud esse nobiscum iudices necesse est, nisi merum praeiudicium, ex ea nempe ortum experientia, qua temporibus vetustioribus saepius perinaei rupti sanationem in puerperio institutam optimum habuisse successum legimus. — Sed quid hoc quidem valeat, quid inde sequatur, quid colligatur? Neminem enim fugere potest, prioribus temporibus, quum ars obstetricia tam esset adhuc rudis atque minus exculta, saepissime obvenisse perinaei rupturas. Quo factum est, uti cuique sane illucebit, ut, quum maior adesset rupturarum copia, etiam plures earum sanarentur, quam nostris temporibus 67), ubi ars obstetricia tam exculta, atque paene omnino emendata, siquidem viri et doctissimi et clarissimi suam ei navarunt operam atque ingenium, rupturam perinaei aliaque parturientium incommoda quam maxime praecavet, ita ut, si modo recte adhibeatur auxilium atque nihil negligatur curae ac diligentiae, inter raritates referenda sit perinaei laesio. Quod quidem verbum minus sane videbitur mirabile, si in Aegidi dissertatione p. 22, ubi perinaei laesi

---

67) Dieffenbach l. c. p. 78.

curationem describere incipit legimus: Quamvis methodo supra exposita — perinaeum scilicet suffulciendi — perinaei rupturam semper fere praecavendam esse persuasum mihi habeam, tamen etc.

Ne autem Tibi, L. B., hac in re magis mechanice, seu potius arithmetice, quam res sinunt physicae, progredi videamur, iam Tibi nostra proponamus argumenta, quibus, uti credimus cupimusque, eorum, quos nominavimus, ceterum doctissimorum virorum refutentur sententiae, idque clarius fiat atque dilucidius, puerperium magis nocere, quam prodesse vulneris perinaei sanationi.

Jam primum omnium experientia ipsa docet, organismum muliebrem tempore graviditatis et eo, de quo sermo est, minus esse aptum atque ad vulnera sananda instructum, omnes enim, quibus pollet, vires ad uterum conversas esse invenimus, eaeque in eo tantum consumuntur, ut foetus rite formetur alaturque, dein partu edito, quum lactatio incipit, omnes iterum exposcuntur matris vires, ut foetus bene nutriatur eiusque vita sustentetur.

Dein haud est negligendum, quamlibet puerperam pro valde saucia esse accipiendam atque ita tractandam. Quod, quum in quavis iam fiat puerpera, multo vehementiori gradu in eam cadere vel me tacente intelliges, cuius perinaeum in partus negotio laesum est. Semper enim partus fuit aut iam per se difficilis, aut auxilio male et incongrue adhibito redditus; in utroque casu misera parturiens valde est vexata atque doloribus cruciata.

Partes denique laesae valde sunt laceratae, irritatae inflammataeque, maximosque vel levissimo tactu dolores excitant. Et in hoc quidem totius organismi statu, in hac partium laesarum mala atque inopportuna conditione operationem instituere velis? Nonne contra omnes ab artis nostrae conditoribus patribusque datas omninoque sancitas leges agere videaris? Quid enim inde sequitur? Sane fieri non potest, quin inflammatio, quae iam adest, operatione instituta, adaugeatur, quae quum iam antea esset valde periculosa, his novis additis incitamentis in tantum gradum facile provehi potest, ut in mortis periculo versetur puerpera. Perfacile enim inflammatio, uti in puerperis fieri solet, partes arripit vicinas, intestinum rectum ruptura iam laborans, vesicam urinariam, uterum ipsum atque peritoneum, quos quidem morbos nobiscum et periculosissimis et atrocissimis sane adnumerabis. Tanta enim inflammatio vix absque totius organismi reactione accidere potest, ita ut febris exoriatur et vehementissima et periculosissima, quam saepius lethalem fuisse supra demonstravimus.

Haec autem non omnia sunt, quae possunt opponi laudatae illi sanationi prima intentione tentatae, nam et haec non prorsus sunt omittenda. Propter locum tam iniquum perinaeum semper inquinatur effluxu lochiorum, vaginalis muci post partum editum valde adaucti, urinae stercorisque, si intestinum rectum una disruptum sit, quae quidem res semper vulneris margines et optime sutura

unitos infestant atque adeo irritant, ut inflammatio valde augeatur, atque ichorosa reddatur, quod supra iam monuimus. Denique quodvis vulnus contusum, quibus ruptura perinaei certe adnumeranda, sua natura atque indole primam intentionem haud admittit, quum vulneris superficies, uti fieri solet, tanquam submortua evadat omnisque reactionis ad ciendam inflammationem, quae est necessaria, expers, ita ut fere semper vulneris superiores partes gangraena aut sphacelo amittantur.

Praeterea etiam experientia edocti sumus, vulnera extra puerperium perinaeo illata facilius uniri, quam quae durante puerperio chirurgice tractentur 68).

Quae quum ita sint, cum Cel. Dieffenbach 69), reunionem sanationemque vulneris per suturam nonnisi finito puerperio esse instituendam censemus, illo tantum casu excepto, ubi medicus, qui parturienti auxilium fert, ad perinaei incisionem coactus erat.

Praemissis igitur, quae praemittenda nobis videbantur, generalioribus, cura partium laesarum ipsa pertractanda nobis restat, quam ut expediamus, iam nos accingamus. Variat et haec pro vulneris

---

68) J. A. Behner diss. observationes chirurgicas sistens. Jen. 1781. Observatio VI.

W. A. Ficker, Beiträge zur Arzeneiwissenschaft, Wundarzenei- und Entbindungskunst. I. Heft. Münster 1796. 8. p. 51.

69) l. c. 77—79.

varietate atque gravitate, itaque a minoribus incipientes ad maiora progrediamur. — Ruptura frenuli et initii perinaei non singularem sibi exposcunt curationem, natura enim ipsa sine ullo artis auxilio hoc quidem vulnus sane levissimum sanatur, huic igitur uni est tradendum. Nunquam fere exsistit haemorrhagia, nunquam inflammatio gravis et periculosa, atque tum tantum puerpera de doloribus conqueritur, quum fluxus lochiorum acrem prae se ferens et indolem et naturam vulnusculum irritet. Sufficiet itaque ad immunditiem partium praecavendam spongiam ad ostium vaginae collocare, qua fluxus lochialis mucusque vaginalis recipiantur, atque vulnus pulvillo obtegere aqua vegeto minerali madido. Saepius autem haec spongia per diem est mutanda, vulnusque aqua tepida purgandum, ne immundities partium inde exorta cicatrisationem prohibeat. Si denique puerperae partu edito lecto remanent, quietumque observant situm ad latus versae, atque femora adducunt, ut partes laesae quantum fieri potest, relaxentur atque collabantur, reunio partium disruptarum semper fere optime procedere solet, quum exortis et inflammatione et exsudatione lymphae sic dictae plasticae vulneris margines et appropinquentur et firma cicatrice concrescant. Qua re ut quam fieri potest diligentissime situs servetur quietus, quo neglecto partes, etsi iam unitae, semper iterum dilacerantur, optimum factu videtur, femora aegrotae colligare atque quantum sine incommodo fieri potest, fasciis constringere, ne dormiens deducat, atque divaricet.

Neglectis autem his praesidiis vulnus haud unitur atque tum, quum tota marginum superficies cicatrice obducta sit dura atque collosa, eandem sibi exposcit curationem, ac si totum disruptum est perinaeum 70).

Quodsi autem praeter frenulum perinaeum disruptum est, et ex parte tantum et totum laesis aut illaesis una et sphinctere ani et intestino recto, unicum tantum nobis relictum esse remedium supra iam demonstravimus, suturam scilicet cruentam. Quum autem haecce operatio puerperio tantum finito sit instituenda ex argumentis, quae attulimus, firmissimis atque dignissimis, quibusque quilibet sane debet assentire, alia adhibeatur necesse est curatio, usque dum tempus veniat operationi aptum atque congruum; quae quidem in eo potissimum versatur, ut symptomata mitiget leniatque gravissima atque valde urgentia. Quae quidem praecipue haec sunt: Saepius haemorrhagia nostram desiderat curationem; quum autem non ex vasis maioribus sanguis profluat, sed ex tota vulneris superficie guttulae exsu-

---

70) Aegidi l. c. p. 25.

F. W. Nedel's Vorschlag einer neuen Verfahrungsart, die Ruptur des Perinaei bei der Geburt zu verhüten und die erfolgte zu heilen, dicit p. 86: Ich habe bemerkt, dass der kleine Einriss im Damme durch die vielen Versuche, die man damit anstellt, zuletzt schwerer zu heilen sei, als der grosse, und immer längere Zeit in Ansehung der Heilung erfordere.

dentur sanguinis, ligaturam instituere haud opus est, et frigidis tantum fomentationibus haemorrhagiam sic dictam parenchymatosam coërcemus, quibus etiam et inflammatio et dolores mitigantur. Si autem forte acciderit, ut fomentationes ad haemorrhagiam compescendam haud valeant, alia adhibeamus remedia necesse est, ex. g. pulverem sic dictum stypticum ex alumine et gummi arabico et alia. Arteriam denique sanguinem eiaculantem ligatura obturamus, id quod tamen rarissime necesse erit. Inflammatio dein symptoma est valde urgens; crebro enim non solum partes laesas, sed etiam vicinas arripit et brevi temporis spatio praeterlapso ad tantum evehitur gradum, ut in summo mortis periculo versetur aegrota; quum enim fieri non possit, quin totus organismus in tanto locali malo reactione careat, febris accenditur inflammatoria, quam valde periculosam esse supra iam monuimus. His quidem in casibus totum adhibemus apparatum antiphlogisticum, eumque heroice et interne et externe, ex. c. venaesectionem, hirudines, fomentationes frigidas, calomel, nitrum etc. Quidquid autem agas, sine ulla cessatione instituas atque haud obliviscaris, periculum esse in mora!

Ad dolores denique mitigandos haud raro medicus adcitur, qui et ex laesione ipsa, et ex inflammatione nimia et ex eo proficiscuntur, quod vulnus recens effluxu lochiorum acrium infestatur irritaturque. Nihil hic sane melius esse potest fomentationibus supra laudatis frigidis, quibus et in-

flammatio arcetur et immundities partium laesarum diminuitur; dein quum partes laesae inferius iaceant, et lege gravitatis iam omnes humores et sordidi et acres e vagina profecti ad eas descendant, puerpera talem observare debet situm, ut pelvis altius collocetur 71), abdomen vero pectusque jaceant profundius; quo fit, ut et fluxus lochialis et vaginalis mucus ad superiorem vaginae parietem defluat, et a spongia ad ostium vaginae collocata recipiatur. Si denique dolores ex aucta oriantur sensibilitate, atque et aliae adsint affectiones spasmodicae, tunc antispasmodica parva tantum dosi sunt adhibenda.

Superatis vero omnibus symptomatibus et urgentibus et periculosis vulnus ipsum marginibus appropinquatis quam fieri potest accuratissime, unirem atque et situ quieto laterali et femoribus adductis colligatisque unita servarem, an prima intentione vulnus sit sanandum periculum faciens. Quod quidem periculum eo magis est instituendum, quo nullum ex hac re oriri potest detrimentum, atque nonnulla adsunt exempla, in quibus et maiores, immo maximae perinaei rupturae, situ congruo quieteque observatis, naturae viribus nullo alio adhibito auxilio sunt sanatae 72).

---

71) Osiander l. c. p. 233. 2.

72) Cf. de hac quidem re Timaeus a Gueldenklee in Cas. medic. Lib. IV. Cas. XXXI. p. 230. qui solo glutine utrimque labiis rimae ruptae applicato, rupturam usque ad anum penetrantem curavit.
Mart. Schurigii. Embryologia. Lipsiae. 1732 p. 562.

Quod si forte acciderit, ut gangraena partibus laesis vi atque impetu submortuis oriatur, tunc curatio contra eam est dirigenda, atque uti therapia docet, instituenda 73). Nec minus suppuratio nimia atque ichorosa, inflammationem sequens nimiam, haud fractam atque debellatam, est timenda, quam quidem, quum vires exhauriat, corpusque emaciat, febremque excitet lentam, immo hecticam, quam fieri potest, arceamus necesse est. Quem in finem externe adhibeamus remedia exsiccantia ex. g. saturnina, et interne, ut puerpera roboretur, viresque eius sustententur, roborantia porrigamus et amara et aetherea, uti corticem peruvianum, gelatinam lichenis islandici, diaetam denique haud parcam, potius largam, spiritum sulphuricum aethereum, vinum generosum et talia.

Qua quidem in curatione, si nihil curae atque diligentiae negligatur, et omnia fiant, uti res postulant atque conditiones, tres usque ad sex consumuntur hebdomades, donec tota vulneris superficies, nisi prima intentione sanatum est vulnus, cicatrice obducta sit firma, atque tunc reunio per suturam est tentanda. Si autem non omnem felicis eventus spem plane abiicere velis, sequentes conditiones observes quam maxime est necesse. Aegrota infanti haud amplius mammas praebere debet, coitum ne exerceat, diaetam observet per nonnullos dies lautam, nec compacta reddentem excrementa. Si

---

73) Osiander l. c. p. 243.

rursum iam rite menstruatur, operatio fluxu menstruo finito statim instituatur. Horis nonnullis ante operationem et alvus clysmatibus exoneretur et vagina iniectionibus calidis purgetur. Quibus praemissis, operatio ipsa inchoetur.

Aegrotae situs fere haec est: Femina femoribus adductis atque quam fieri potest divaricatis, clunibusque elevatis in lecti aut mensae margine pulvinare obtectae dorso capiteque pulvillis fulcitis, sicut in lithotomia collocetur, ita ut medicus, qui operationem perficit, totam perinaei regionem et intueri et ab omni quo vult latere aggredi possit. Duo dein adsistentes ad latera aegrotae collocati femora firmiter teneant in eo, quo dictum est situ, ne aegrota doloribus cruciata situm mutet locumque, atque operationem inhibeat. Duo alii porro adsistentes manus truncumque aegrotae immota teneant fixaque, atque restaurationi, sit venia verbo, si desideretur, inserviant.

Alius situs ab Aegidi 74) laudatus et a Mursinna 75), et Nedel 76) usitatus, ubi puerpera aut ventre incumbit 77), aut potius in genua flexa brachiaque ita innititur, ut perinaeum luci pateat, haud

---

74) Aegidi l. c. p. 35.

75) Mursinna l. c. p. 663.

76) Nedel's Vorschlag einer neuen Verfahrungsart, die Ruptur des Perinaei bei der Geburt zu verhüten und die erfolgte zu heilen. Magdeburg 1806. p. 88.

77) Reuss in Siebold's Beobachtungen l. c. p. 47.

laudandus nobis videtur, quum et aegrotae maiores afferat molestias et totum vulnus a medico non tam accurate conspiciatur, quam in situ a nobis laudato 78). Neque minus eorum consilium vituperandum videtur, qui ad operationem situm aut in dextro aut sinistro latere commendant 79), quum hoc quidem observato una tantum vulneris pars medici oculis se praebeat 80).

Collocata bene aegrota operatio ipsa incipiat, quae quidem in tres dividitur actus, quorum primus derasionem pilorum, secundus resectionem vulneris marginum, tertius denique reunionem partium per suturam continet.

Quod itaque primum attinet, sane est actio valde simplex atque haud difficilis. Omnes pilos qui ano, aut vulneris marginibus, aut parti labiorum posteriori affines sunt, deradi iubet Dieffenbach 81), Osiander 82) contra pilos, si longi sunt, tuetur, eosque aut filo aut invicem inter se supra vulnus colligatos suturam cruentam adiuvare dicit. Cui quidem haud videtur adsentiendum; nam neque auxilium e crinium colligatione exortum, vel

---

78) Osiander l. c. p. 230.
79) Chelius Handbuch der Chirurgie, 3te Aufl. Heidelbg. 1828. 1. Bd. 2te Abtheil. p. 456.
Mentzel l. c. p. 124.
80) Osiander l. c.
81) Dieffenbach l. c. p. 67.
82) Osiander l. c. p. 227 et 232.

minimi est momenti, neque fere unquam evitare possumus, quin nonnulli crines vulneris marginibus immisceantur atque reunionem partium impediant.

Sequitur iam secundum operationis momentum, resectio scilicet marginum, quae sic quidem perficitur. Si superficies cicatricis mollis invenitur atque flexibilis, instrumento sic dicto forcipe ad operationem Entropii 83) nonnullas arripimus cicatricis partes atque elatas aut forfice aut, quod melius est, scalpello resecamus; si autem dura invenitur atque collosa, scalpello tantummodo cicatricem removemus, eam, qua Dieffenbach 84) utitur, methodum sequentes; quod quidem utrumque alternando tam diu est faciendum, quam minima adsit cicatricis pars 85). Remota omnino cicatrice, vulnus cruentum omnibus locis factum ad reconciliationem aptum est, quo tertius consumitur actus.

Priusquam autem sutura adhibetur cruenta, haemorrhagia e resectione exorta prorsus coërcenda, omniaque sanguinis coagula removenda sunt. Quo facto vulneris margines sutura uniuntur eo, quo notum est modo. Suturarum numerus a

---

83) Chelius l. c. p. 456. §. 671. med.

84) l. c. p. 67 sqq.

85) Minime autem audiendi sunt ii, qui vulneris labia tantum scarificare suadent, quo facto nulla reunio, neque accurata, neque exacta, impetrari potest.
Mursinna l. c. p. 662.
Reuss l. c. p. 47. et Langenbeck in Osiander l. c. p. 241.

vulneris magnitudine atque ambitu dependet, ruptura parva duas tantum ad summum tres desiderat, quum contra in maioribus et quatuor et quinque, interdum sex requirantur suturae 86). Errant itaque et Aegidi 87), et Mauriçeau 88), nunquam pluribus quam duabus tribusque opus esse dicentes.

In universum de numero suturarum nil est certe destinandum, itaque semper tot utimur suturis, ut totum vulnus quam fieri potest et accurate et firmiter uniatur, id quod haud impetratur, si inter duas ligaturas tantum interstitium sit relictum, ut eo quidem loco vulnus adhuc hiet, quo fit, ut haec vulneris ceterum bene uniti pars haud reiungatur, et in posterum novam exposcat curationem 89). Praeterea haec in sutura instituenda monenda videntur: Acus primum, quibus ad suturam et immittendam et perducendam utimur, neque nimis curvae, neque nimis rectae, neque nimis infirmae esse debent 90), ita ut et commode eas tractare et in immittendis vulneri perducendisque vim quandam et efficaciam possimus adhibere, id quod eam ob causam potissimum est necessarium, quod ligaturae tam profunde vulneris latera penetrare debent, ut et infimae partes iis arripiantur atque reiungantur, ne vulneris fundo canalis oriatur fistulosus inter

---

86) Dieffenbach l. c. p. 68. Osiander l. c. p. 241.
87) l. c. p. 36.
88) Traité etc. p. 401.
89) Osiander l. c. p. 231.
90) Aegidi l. c. 35. Osiander l. c. p. 230.

anum vaginamque, omne fere artis auxilium respuens, neve quum parum tantum perinaei intersit, id facile perscindant atque ita evellantur 91). Quod denique locum attinet, ubi singulae ligaturae collocandae sint, id tenendum observandumque videtur, ut prima mediam teneat perinaei partem, secunda denique et tertia ad extremos vulneris fines collacatae tam sphincteris ani fibras diruptas intestinumque rectum, quam frenulum conjungant ruptum, id quod eo magis videtur necessarium, quod stercoribus flatibusque involuntarie et continuo prorumpentibus et anus semper extenditur et fibrae disruptae spincteris ani semper et retrahuntur et moventur, quo fit, ut etsi omnino ruptura evadat sanata, sphincteris fibrae remaneant haud reiunctae, et alvus adhuc perduret involuntaria, incommodum sane summum et valde torquens. Quae quum ita sint, nullo modo ligatura ani sphincteris fibras amplectens est negligenda atque omittenda, praecipue quum, uti experientia docuit, in uno casu, ubi ceterum perinaei vulneris reunio omni parte frustra esset tentata, incommodum sane molestissimum sublatum sit, alvi videlicet incontinentia flatuumque 92).

Suturis collocatis colligatisque atque vulnere omnibus partibus unito unicum illud adhuc restat, ut incisiones perficiantur laterales, quae ita, uti Diffenbach 93) docet, atque nos supra iam descri-

91) Osiander l. c. p. 231.
92) Mursinna l. c. p. 672.
93) l. c. p. 69.

psimus, sunt instituendae. Purgatis dein omnibus partibus, praecipue vulnere, aegrota lecto traditur, atque sic, uti proposuimus, collocatur.

Marginibus vulneris sutura unitis aliam deligationem et simplicissimam et complicatam addere supervacaneum atque ineptum nobis videtur 94), quum omnes deligationis partes mox urina, muco vaginali stercoreque inquinentur, atque, nisi semper mutentur atque iterentur, vulnus etiam reddant immundum atque fluoribus dictis sordidis irritent. Quot autem inde sequantur detrimenta, quot mala? Nonne semper mutationibus deligationis necessariis vulnus irritatur, nonne aegrota iam per se anxia atque perturbata semper molestatur, nonne quavis deligationis mutatione situs quietus, quo neglecto nulla exspectanda sanatio, perturbatur mutaturque? Quum denique remedia, quae videntur necessaria, non possimus adhibere, quid tandem, inquis, oritur inde auxilii, quid commodi, quid impetrare ista ratione voluerunt auctores? Nihil aliud sane, quam suturam adiuvare cruentam atque perinaeum continere, nec non constringere, quum partes unitae et propter massae organicae defectum aut sphacelo aut gangraena exortum, et quia laesi perinaei margines valde sunt retracti atque diminuti 95), valde

94) Dieffenbach l. c. p. 80.
E. v. Fabrice medicinisch-chirurgische Bemerkungen und Erfahrungen. Nürnberg 1816. S. 10. cuius libri copiam mihi sero factam esse valde doleo.

95) Mursinna l. c. p. 660.

appareant extensae atque quaeque ligaturae facile vulneris margines perscindere videantur. Sed ad hoc sane nil iuvare possunt, quum, uti iam monuimus, saepius sint mutandae deligationes; multo autem et facilius et certius id impetres, si cum Dieffenbach incisiones perficias laterales, de quibus supra dictum est. — Itaque neque suturam sic dictam siccam, striis emplastri adhaesivi adhibitis, neque fasciam litterae T similem 96), neque alias deligationis methodos a Mursinna 97) et Mentzel 98) collaudatas atque ad hoc quidem malum inventas atque constructas adhibeamus. Missis vero his rebus nihil aliud vulneri sutura unito superimponamus, nisi compressas ex linteo factas quater sexiesque compositas, aqua frigida commixtas, in qua, si fieri potest, glacies sit soluta. Sed et eorum consilium 99) non prorsus est adspernandum atque reiiciendum, qui ne vulnus compressis irritetur, pulvillis Unguento saturnino illitis et obtegere et tutari illud suadent.

Minime autem audiendi sunt isti, qui aut carpia vaginam implere 100), aut spongiam aut Hunoldi pessarium 101), aut pannum ceratum 102), aut

96) Mursinna l. c. p. 663. Aegidi l. c. p. 39.
97) eodem loco.
98) Mentzel l. c. p. 125 sqq.
99) eodem loco. — Aegidi l. c. p. 39.
100) Osiander l. c. p. 240.
101) W. A. Ficker's Beiträge zur Arzeneiwissenschaft, Wundarznei und Entbindungskunde. I. Heft. Münster 1796. 8. S. 52.
102) Eodem loco p. 51.

laminam plumbeam 103), aut denique Mauriçeavii pultem ex ovis paratam 104) vaginae immitti iubent, eum in finem, ut immundities partium praecaveatur. Omnes enim istae res non solum non iuvant, sed potius nocent, quum tanquam corpora agant aliena, atque partes semper valde irritent. Mursinna 105) catheterem vesicae immittit, ne urina vulnus infestet, partesque deligationis reddat madidas, quod quidem forte minus videbitur necessarium, si crines antea genitalium derasi fuerint. Tum autem inter mingendum perinaeum spongia aqua tincta tegendum est, ne urina ad id defluat, idque irritet.

Curatio denique, sutura perfecta, est simplicissima. Id autem potissimum spectandum est, ut secretiones alvinae quam fieri potest, supprimantur, quem ad finem diaeta modica utatur aegrota, atque per sex aut octo dies opii auxilio alvus obture-

---

103) quam potissimum Osiander laudat. Voelkening l. c. pag. 21.

104) Compositionem parationemque huius pultis invenies in Mauriçeau traité l. c. pag. 400. ubi sic dicitur: .... un petit cataplasme fait avec les oeufs frais, dont on mêlera le iaune et le blanc avec huile d'amandes douces lequel on fera un peu cuire dans une écuelle sur les cendres chaudes, en remuant le tout avec une cueillere jusques à ce qu'il soit un peu lié, puis l'ayant mis sur des étoupes fines, ou sur un linge, on l'appliquera chaudement sur tout; l'exterieur de vulve etc etc.

105) Mursinna l. c. p. 664.

tur 106), dein vero oleo Ricini adhibito laxa reddatur, ne stercoribus duris atque compactis ex ano progredientibus reunio adhuc nova atque non satis firma iterum laedatur. Haud laudanda autem est Chelii 107) sententia, qui post operationem adhibitis levibus tantum remediis laxantibus alvum laxam reddere commendat. Si autem accidit, ut aegrota prius dicto alvum deponere cogatur, tunc per digitum vaginae immissum explorare debemus, num laxa sint excrementa, an dura. Quodsi posterius acciderit, per catheterem flexibilem ano immissum 108) tam diu aquam communem calidam iniiciamus, donec omnes partes durae et densae solvantur, atque tum aegrotam adhortemur, ut quam fieri potest sine ullo nisu atque vehementia alvum deponat. Quibus diligenter observatis, nullum ex hoc incommodo oriri potest detrimentum, illo tantum excepto, quod totum perinaeum stercore inquinatur, quae res minus tamen videtur nocua, si statim spongia aqua impleta partes inquinatas purgamus, omni qua par est cautione, ne ligaturas moveamus evellamusque.

Ligaturae tum demum auferantur, quum reunio partium aut ex toto aut pro parte bene processerit; quae autem perinaeum potissimum adhuc continent atque constringunt, serius removendae sunt iis, quae

---

106) Dieffenbach l. c.
107) l. c. p. 457.
108) Dieffenbach l. c. p. 71. Voelkening l. c. p. 25.

laxiores factae sunt. Perdifficile autem est, certum quoddam tempus ad ligaturas auferendas destinare, quum mox prius mox serius vulneris sanatio efficiatur. In universum id ponendum videtur, inter diem quintum et decimum removendas esse 109), quum serius retentae et inflammationem et suppurationem excitent. Si prius removeantur, facillime fieri potest, ut vulneris quamvis optime sanati margines iterum retrahantur atque hient; caveas itaque ne ante diem quartum vel quintum ligaturas auferas. Si forte acciderit, ut una aliave sutura perinaeum perscinderet, atque ita evelleretur, novam illico adhibeamus ligaturam atque partes iterum ruptas reconciliemus. — Die quarto usque ad sextum, sic uti res postulant, fomentationes frigidas inhibendas, in eiusque locum aquam saturninam vocandam esse iubet Dieffenbach, qui nonnullos locos suppurantes pulvillis balsamo quocumque illitis obtegere suadet. Incisiones denique laterales nulla indigent curatione, quum iam per se quatuordecim fere diebus restituantur. Quodsi pars perinaei posterior ano affinis haud reunitur, aut iam unita iterum dirumpitur, reunionis spes tamen non prorsus est abiicienda, nam experientia docet, in his quidem casibus causticorum ope granulationem excitari sat largam, ita ut brevi tempore praeterlapso hocce etiam sanatum invenias vulnusculum. Quem ad finem a Dieffenbach 110) et Mursinna 111) lapis

109) Dieffenbach l. c. p. 81.
110) Dieffenbach eodem loco.
111) Mursinna's Journal. Bd. IV. St 2. p. 149.

infernalis et laudatur et optimo successu adhibetur. In uno denique casu, ubi argentum nitricum fusum haud sufficiat, Mursinna 112) ipsum ferrum candens feliciter adhibuit.

Restat adhuc, ut alius methodi faciamus mentionem, quae a nonnullis medicis valde laudatur et uti videtur rectissime. In inveteratis enim perinaei rupturis copiosam excitaverunt suppurationem atque granulationem tam largam, ut vulneris labia, quamquam non normaliter inter se juncta, tamen quodammodo inter se cohaererent atque coalescerent, qua quidem re efficitur, ut aegrota multo melius se habeat, quum et sessu et ingressu minus quam antea molestetur, atque vagina ab ano secernatur. — In omnibus itaque casibus auctoribus Schreger 113), Schäffler 114), Chelius 115), et Dieffenbach 116), ubi aut operatio haud bono coronata est eventu, aut sutura propter aegrotae voluntatem dolores verentis ceterasque operationis molestias haud institui potest, callosas removeamus cicatrices atque remediis adhibitis digestivis aut lapide infernali inflammatione adaucta granulationem, si dura validaque fieri cessat, plumbi vel zinci auxilio epidermide induamus. Sed in his quoque casibus vulneris immundities urinae stercorisque inquinationibus exorta quantum fieri potest, vitanda est.

112) eodem loco.
113) Schreger, Annalen des chirurgischen Clinicum auf der Universität zu Erlangen. 1817. S. 75.
114) Schäffler in Hufeland's Journal l. c. p. 181.
115) Chelius l. c. p. 457 sqq.
116) Dieffenbach l. c. p. 81 et 82.

Vitae curriculum.

Ego Gustavus Holthoff evangelicae addictus confessioni die V. mens. Januar. ann. MDCCCVI Berolini natus sum. Parentibus gaudeo adhuc superstitibus patre Guilelmo Holthoff, Doctore atque Professore Reg., hoc tempore rerum academicarum Gryphiswaldensium administrandarum Directore, matre Joanna Emilia e gente Guilhauman, quos Deus per longi temporis spatium mihi incolumes servet atque tueatur precor. Primis litterarum elementis a patre ipso instructus gymnasium adii, quod Graphiswaldiae floret sub auspiciis Cel. viri Doctoris Breithaupt, ubi in primum receptus sum ordinem. Hic per tres annos in eas incubui scientias, quae ad studia academica viam muniunt. Triennio absoluto testimonio No. II. cum laude instructus, dimissus atque mens. April. ann. MDCCCXXIV ab Ill. Boeckel, t. t. fascias rectorales tenente, civibus universitatis litterariae Gryphiswaldensis adscriptus sum.

Per septem semestria hic interfui lectionibus et philosophicis et medicis. Generosissimus de Weigel me docuit encyclopaediam et methodologiam medicam, mineralogiam, chemiam et theoreticam et practicam et experimentalem atque materiam medicam; Ill. Barkow osteologiam, acologiam et

anatomiam chirurgicam; Ill. Parow encyclopaediam scientiarum philosophicarum, Logicen et metaphysicen atque historiam philosophiae systematum; Ill. Rosenthal anatomiam, physiologiam, angiologiam et neurologiam, atque anatomiam comparatam organorum sensuum et una cum Ill. Barkow cadavera rite secandi artem; Ill. Hornschuch botanicen et universalem et specialem et zoologiam; Ill. Tillberg physicen; Ill. Seyffert semioticen; Ill. Berndt pathologiam et therapiam, tam universalem, quam specialem artemque obstetriciam; Ill. Sprengel chirurgiam et universalem et specialem. Ad praxin medicam, obstetriciam atque chirurgicam me instituerunt viri Ill. Berndt et Sprengel, qui praeterea Celsi librum octavum de medicina et Hippocratem περὶ τῶν τῆς κεφαλῆς τραυμάτων mihi interpretatus est.

Mensi Octobr. ann. MDCCCXXVII Berolinum adii, id quod per longe temporis spatium in votis habueram, atque ab Ill. Lichtenstein t. t. Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus sum. Hic Ill. Link de pharmacologia et Toxicologia, Ill. Osann de materia medica, Ill. Casper de formulis medicis rite concinnandis, Ill. Rudophi de anatomia et pathologica et comparata, Ill. Bartels de Hippocratis aphorismis, Ill. Rust de chirurgia et oculorum morbis et aciurgia una cum Ill. Kluge, Ill. Hecker de medicinae historia disserentes audivi. Exercitationibus dein aciurgicis-ophthalmiatricis Ill. Kranichfeld et Ill. Juengken duces mihi fuere.

Clinicis denique praelectionibus chirurgicis-ophthalmiatricis Ill. Rust et generosissimi de Graefe, ophthalmiatricis Ill. Juengken, medicis Ill. Bartels et illis, quae Ill. Kluge auspiciis de morbis habentur syphiliticis et Policlinico sic dicto et Ill. Hufeland et Ill. Rust interfui, qui viri Illustrissimi ad praxin medicam atque chirurgicam me applicuerunt.

Tentaminibus et philosophico et medicis atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia in me conferantur honores.

Theses defendendae.

I.

Ruptura perinaei puerperii tempore per suturam non est sananda.

II.

Fistulam ani incompletam internam nego.

III.

Theorema illud Sydenhami, febrem esse conamen naturae mortem avertendi, omnino probandum.

IV.

Anceps remedium melius, quam nullum.